



S.d. 38

Cont.

Th. hist. R. IV. 150. 7<sup>62</sup>.

201.

14

B. IOACHIMI HILDEBRANDI  
THEOLOGI POST FATA CELEBERRIMI

RITVALE  
EVCHARISTIAE  
VETERIS ECCLESIAE

PUBLICIS LECTONIBVS

OLIM DICATVM

ET

NVNC IISDEM DENVO DESTINATVM

A

IO. ANDREA SCHMIDIO D.



HELMSTADII

---

TYPIS GEORG-WOLFGANGI HAMMII, ACAD. TYPOGR.  
ANNO MDCCXII.

16.

B. IOACHIMI HEDDERA ANDI  
THEOLOGI TOTI TATI CISTERCIENSIS  
RITUALIS  
EUCHARISTIAE  
VETERIS TESTAMENTI  
PRAEVOCATIONIS  
OLIM DICTUM  
ET  
MAGIS IDEM DENO DEDICATUM  
A  
IO. ANDREAS SCHINDLIO. D.



THIS COPY OF THE LANE LIBRARY, ACQD. 1790.  
1790 MDCCXCI

DE

VETERVM EVCHARISTIA.

**E**rat in V. ecclesia duplex mis-  
sa, catechumenorum alia, alia fi-  
delium. Solebant enim Veteres  
catechumenos h. e. Ethnicos vel  
Iudeos, qui in fide christiana informabantur,  
non solum ab usu sed ab omni etiam cognitione  
Eucharistiae excludere, nec vel leviter hujus my-  
sterii doctrinam patefacere, quod ex apologetico  
Tertulliani c. 7. constat. Subit ergo mirari un-  
de factum, quod Justinus in apologia ad ethni-  
cum Imperatorem Antoninum, ne catechume-  
num quidem, omnia sacra christianorum & in-  
ter haec ritus Eucharistiae imprimis contra mo-  
rem sui seculi perscriperit, nisi dicas universa-  
lem hunc morem tempore Justini nondum fuis-  
se. Sed seculis 4to & 5to pro concione præsentati-  
bus catechumenis vix verbum facere de Eucha-  
ristia licuit; vel, si occasio de ea loquendi dare-  
tur, statim abrumpere solebant hac formula:  
*hoc fideles norunt! vel fideles me bene intelligunt,*  
quod ex S. August. tract. 86. in Johannem, &  
Chrysost. hom. 40. in I. Cor. abunde constat.

A 2

Ita

\* (4) \*

Ita ergo patet nihil de Eucharistia catechumenis  
ante baptismum constitisse.

Nec solum a cognitione sed a conspectu Eucharistiae catechumeni erant exclusi, quod nos docet antiquus Scriptor Dionyius Areop. de Ecclesiast. hier. c. 5. Post sacram lectionem, extra templo catechumeni & cum bis energumeni ac paenitentes collocantur. Neque enim fert mos Ecclesie, ut bi ad spectanda mysteria admittantur. Ratio ob quam catechumeni ab aspectu Eucharistiae fuerunt exclusi, videtur triplex fuisse. 1. Ne, dum alia mysteria fidei tractanda essent, multitudo mysteriorum tedium religionis nostrae apud catechumenos pareret. 2. Ut exclusi ab Eucharistia majus desiderium ejus fruendae susciperent: Hinc veteribus Eucharistia dicitur desiderata, quod magno ejus desiderio non fideles tantum sed & catechumeni tenerentur. Vid. S. August. d. & o. loco. 3tia ratio est, ne crebrior aspectus Eucharistiae contemtum sacramenti pareret, & catechumeni tenuitate symbolorum offenderentur, de quo scandalo Veteres se Deo rationem reddituros pie crediderunt. Vid. Albaspinaeus de prisco ritu conficiendi Eucharistiam.

Nihilominus si forte contingaret, catechumenum cum ceteris fidelibus in templo remanere, & per errorem de Eucharistia participare, hic sine mora fuit baptizatus aliquique fidelibus connumeratus, propterea quod hic a Deo vocatus

\* (5) \*

catus crederetur , quemadmodum Ballamon in  
commentario ad Nomocanonem Photii recen-  
set. Aliam rationem in hoc casu S. Augustinus  
reddidit , quod nimurum catechumenatus apud  
Veteres nihil aliud fuerit quam dispositio ad re-  
cipienda ecclesiæ sacramenta , Baptismum & Eu-  
charistiam ; cum ergo catechumenus Euchari-  
stiam sumisset , jam ad eam sumendam adhuc  
disponi non erat necessum. vid. Augustini libellus  
de fide & operibus.

De cætero animadvertisendum, in V. Ecclesia  
inter fideles & catechumenos notabile hoc discri-  
men in templis fuisse observatum. Nam canendis  
psalmis, lectioni S. Scripturæ & audiendæ con-  
cionis non catechumenis tantum sed & paganis,  
Judæis, hæreticis interesse licuit, quod ex concilio  
Carthaginensi 4. constat: Sed finita concione, infi-  
deles omnes & hæreticos exire oportuit, dum ad  
huc in templo catechumeni, obseSSI , quorum olim  
erat magna copia, & poenitentes substiterunt.  
Manebant autem ideo, ut preces pro ipsis & su-  
per ipsis ab Episcopo & collecta fidelium plebe  
fierent, hinc expulsis demum infidelibus missa  
catechumenorum initium sumvit , his ritibus:  
Diaconus Ecclesiam circumibat , & fideles ad  
orandum pro catechumenis admonebat. Cate-  
chumeni flexis capitibus ab Episcopo benedice-  
bantur, dictisque precibus templo exibant. Eo-  
dem modo cum obseSSI & tandem cum poen-  
tentibus

A 3

tentibus fuit actum. Vocatur autem hæc missa, non ab obseffis, non a poenitentibus, sed a catechumenis, ideo quod major pars catechumeni essent.

Notandum porro, quod quamvis catechumeni a celebrata Eucharistia in solidum fuerint exclusi, fuit tamen in V. Ecclesia peculiaris communio catechumenorum, qua baptismi illis candidatis frustulum panis & salis benedicti dabatur, quod refert S. Augustinus in libell. de remissione peccati c. 26. Ratio hujus communionis erat gemina, prior, ut, quemadmodum panis eucharisticus ad conservandam unionem fidelium porrigitur, sic & exhibitio illa panis certa prece consecrati catechumenum ad unionem cum fidelibus servandam paulatim disponere debeat; posterior ratio erat, ut h. m. ad usum Eucharistiae præparentur. Tantum de missa catechumenorum, jam ad fidelium missam progrederiemur.

Sicut in aula regia omnes servi quoque & captivi cibantur, sed ad ipsum cum Rege epulum non nisi probi & digni admittuntur: Ita in ecclesia doctrinam evangelii, quæ est animi cibus, audire omnibus licuit, sed ad regium epulum h. e. ad dominicam coenam non nisi fideles & sancti fuerunt admissi. Prima autem in missa fidelium consuetudo fuit, ut fideles in altari panem & vinum obferrent, de quibus oblatis, non tantum clerici & pauperes viderunt, sed imprimis

imprimis sacra Eucharistia fuit confecta. Fuit hic mos jam Cypriani ævo, h. e. Seculo III. Is enim in libello de eleemosynis divitem matronam reprehendit, quod ipsa de oblatis, quæ pauper atrulit, communicet, ipsa vero nihil secum afferat. Et a veteri illo ritu offerendi, Eucharistia Germanis dicitur *ein Opfer* / & hostiæ dicuntur *oblata*.

Juvat eundem ritum offerendi ad altare panem & vinum, testimonii Veterum confirmare: Neque enim mos ille tantum oecumenicus fuit, sed & propter Pontificios, qui Eucharistiam in sacrificium transformant, probe cognosci meretur. Ex Veteribus inter primos hujus ritus meminit S. Irenæus, qui Apostolico ævo vicinus seculo II. exeunte floruit, hic vero existimat Salvatorem ipsum, dum discipulis in Eucharistia panem & vinum præbuit, morem offerendi sanxisse l. 4.c. 32. Hic mos offerendi in Ecclesia per plura secula constanter mansit. Hinc adhuc sexto seculo synodus Matisconensis decrevit, ut viri & mulieres omnes, singulis diebus Dominicis panem & vinum ad altare deferant, & per has oblationes a vinculis peccatorum solvantur. Et quid de VI. seculo dicimus, cum adhuc IX. seculo Amalarius Fortunatus, qui suos de sacris ritibus libellos Ludovico pio Caroli M. filio dedicavit, refert, suo adhuc ævo populum oblationes dedisse secundum ordinem Melchisedechi; quin & ibidem addit, Cantores in

in ecclesia ab offerendis pane & vino immunes  
fuisse, propterea quod hi similes Levitis in V. T.  
sint æstimati, quodque eosdem tempore oblationis  
canere oportuerit adeoque hinc inde cum  
cæteris fidelibus discurrere non potuerint. Ni-  
hilominus ne prorsus ab offerendo excepti essent,  
scribit, cantores obtulisse aquam, quæ vino be-  
neditio fuerit commixta: *Populus*, inquit, *vi-  
num, sed cantores aquam offerunt.* Et per hanc  
oblationem panis & vini & aquæ ecclesia signi-  
ficavit, quod animos, corpora suaque omnia  
Deo dedicata vellent.

Ad hunc offerendi ritum pertinent preces  
fere omnes, quas Pontificii *Secretas* vocant. Ju-  
vat harum unam & alteram ex missali Romano  
adscribere. In festo Natali, cum missa in aurora  
agitur, ita precantur: *O Domine hæc munera  
nostra Nativitatis hodiernæ mysteriis apta reddan-  
tur.* Et Dominica s. post Pascha: *Suscipe Do-  
mine fidelium preces cum oblationibus eorum!* Et  
Dominica s. post Pentec. *Has oblationes famu-  
lorum tuorum benignus assume, ut quod singuli ob-  
tulerunt singulis ad salutem proficiat.* Ad eundem  
ritum pertinet initium hodierni canonis, in eo  
sic orant: *Rogamus te, clementissime pater, ut ob-  
lata hæc munera sancta acceptaque habeas.* Hujus-  
modi preces, quibus hodie canon missæ abundat,  
olim in oblata munera panis & vini recte qua-  
drarunt, & facile intelligi potuerunt; sed ex quo  
titus offerendi desit, imperitis sacrarum anti-  
quitatum

quitatum difficiles sunt intellectu, & a Pontificiis ad firmandos errores torquentur.

Porro antiqua ecclesia semper illud S. Irenei observabat: *Offerens commendatur suo munere, si ecclesia munus ejus acceptet.* Neque enim olim indistincte cuivis offerre licuit, nec omnium oblata munera fuerunt accepta, sed si qui notorie impii vel adhuc poenitentes essent, horum oblationes receptae non fuerunt. Hinc Concilium Ilerdense hanc poenam catholico imponit, qui liberos baptizandos haereticos mittit, ne hujus oblatio ad altare recipiatur. Si qui invicem litigarent, horum oblationes recipere prohibet Concilium Carthaginense IV. canone 93. Imo nulli poenitenti, nulli energumeno vel obsecso, nulli catechumeno offerre olim licuit, sed hos & istos discedere e templo omnes oportuit, antequam offerretur. Itaque offertorium olim erat initium missæ fidelium. Atque hoc ipsum, quod catechumeni cæteris sacris, excepta oblatione, communicarent, veteres vocant *κοινωνίαν χίρεας* *περὶ θυσίας* h.e. sacris interesse donec munera offerrentur.

Si forte contingeret poenitentem aliquem subito mori, antequam ab ecclesia ad communionem S. Eucharistiæ esset admissus, huic etiam mortuo ecclesiastica communio fuit restituta, hoc modo, quod oblationes ejus nomine a cognatis factæ reciperentur. Hinc Concilium Arelatense II. ita sanxit: *De poenitentibus placet,*

B ut

ut nemo ipsorum vacuis in communione maneat, sed quia pœnitentiam honorarunt oblationes ipsorum recipere placet. Eodem modo Concilium Valesie: Pœnitentes quia in agro vel itinere morte præveniuntur ecclesiastico affectu persequimur, eorumque oblationes recipimus, exceptis iis qui sibi ipsis vim intulerunt. Solebant nimis pœnitentium defunctorum amici nomine defunctorum panem & vinum in exequiis ad altare deferre, hæc munera si ecclesia acciperet, signum erat, defunditum in ecclesiæ communione obiisse; & hæc proprie in V. Ecclesia erant oblationes pro defunctis, quæ nullum prorsus respectum ad purgatorium habuerunt. Quin & porro omnes illi qui exequias ibant, de muneribus panis & vini, nomine defuncti ad altare oblatis, communicare solebant, & hæc communio apud veteres erat missa pro defunctis. Refert tamen S. August. in Enchiridio ad Laurentium alios fines harum oblationum pro defunctis: Si, inquit, pro sanctis offerantur, gratiarum actiones sunt, si pro mediocriter bonis, sunt propitiations, si pro improbis & damnatis, non quidem sunt mortui adjumenta, sed qua iacunque virorum solatia.

Hodie quidem hic ritus offerendi, quamvis olim tota ecclesia receptus, fere in desuetudinem abiit, nisi quod adhuc in aliquibus locis Galliæ vestigium illarum supersit: Nam quoties missa est parochianis, singuli patresfamilias grandem panem sacerdoti in templo solent offerre.

ferre. Ratio, propter quam in ecclesia mos offerendi desit, eit, quod hodie non amplius ut olim totus populus simul ac semel communicet, sed minor pars populi; adeoque modicum est, quod ad usum eucharistiae requiritur, & alias suppetit, unde tantillum haberi possit. Hinc igitur in nostris ecclesiis non ipsa tantum oblatio panis & vini ad altare, sed offertorium & preces secretæ, quæ ad morem offerendi respiciunt, hodieque Pontificiis adhuc in usu sunt, prorsus desierunt: Neque enim necesse est Deum orare ut oblata munera acceptet, cum nulla hodie munera offerantur.

Sciendum porro de oblationibus Veterum, quod ex his in V. ecclesia non eucharistia tantum fuerit confecta, sed & pauperes refecti. Docent hoc duo antiquissimi scriptores, quorum alter, Justinus, apologia secunda refert: *Nos indigentes omnes adjuvamus, & die, qui solis dicitur, convenimus.* Tum vero quibus copia est & qui volunt, quisque pro arbitrio suo, quantum videtur, contribuunt, & quod ita colligitur apud praesidem sacerorum deponitur; is vero inde opitulatur viuis & pupillis, & ob morbum vel alias causa indigentibus. Alter est Tertullianus qui c. 39. apologetici sui ita scribit: *Unusquisque nostrum menstrua die, modo velit & possit, modicam stipem affert: nam nemo ad id compellitur, sed sua quisque sponte offert: haec apud nos deposita pietatis vocantur: Inde enim non epulis nec poculis sed alendis & sepelitis*

*endis pauperibus, & pupillis juvandis, vel domesticis senibus, vel naufragis, vel iis qui ad metalla vel carceres damnati sunt, dispensatur.* Hodie in nostris ecclesiis vicem veterum oblationum supplet, quod, cum concio fit, ad pauperes sublevandos colligitur, quanquam in multis ecclesiis protestantium hodie receptum sit, ut in festis solennioribus oblationes ad ipsum altare fiant, unde ministri ecclesiae sustententur.

DE

PRECIBVS AD EVCHARISTIAM

**V**eteres Christiani fere nunquam ardentius, quam ad eucharistiam orarunt. Pro quibus autem oraverint, elegi inter nos docet Tertullianus dicto loco: *Coimus in cœtum, inquit, ut quasi manufacta, Deum precibus ambiamus, hæc vis Deo grata est?* Oremus autem pro Imperatoribus, pro ministris eorum, pro statu seculi, pro rerum quiete, pro mora finis. Et iterum in libello ad Scapulam, cum ethnicos reprehendit, quod sacrificia Imperatoribus obferant, etiam nos, inquit, *sacrificamus pro salute Imperatoris, sed Deo nostro, & ipsis, ad eum modum quem præcepit Deus.* S. Augustinus epistola 107. refert orasse Veteres ad eucharistiam pro convertendis incredulis, pro catechumenis regenerandis: *Subsanna, inquit, pias voces, cum sacerdos ad altare populum hortatur: Oremus: vel cum ipse clara voce oraverit, ut infideles convertat, an non respondebis, Amen?*

S. Chry-

\* (13) \*

S. Chrysostomus hom. 72. in Matth. scribit, tempore eucharistiæ preces factas pro dæmoniacis, pro pœnitentibus, quemque pro se orasse, quin & infantes adductos, qui lacrymis Deum ad misericordiam commoverint. Idem aurei oris Doctor, hom. 18. in acta Apostolorum, morem annotat condendi facella in prædiis, ibique oblationes factas & preces pro domino prædi & pro ipsa villa.

In nostris hodie ecclesiis preces, quæ olim ad eucharistiam fieri solebant, non amplius ad altare fiunt, sed in suggestu habitæ concioni sub junguntur, præmissa tamen generali formula confessionis & absolutionis, ut in precibus Deo propitio utamur, & facilius exaudiamur. Oramus autem perinde ut Veteres pro Imperatoribus, pro Ecclesia & Rep. pro ministris principum, pro statu seculi &c. imo pro omnibus, quibus vel nos vel alii quoad corpus & animam indigemus. Quin & porro, dum ita oramus, in altari, quod communiter à suggestu non est adeo remotum, sacra symbola palam sunt exposita, dummodo ergo nostræ preces publice ab antistite sacerorum ad altare recitarentur, inter veterem & nostrum orandi modum nihil discriminis esset.

DE

### PREFIBVS PRO DEFVNCTIS.

IN V. Ecclesia ad altare non pro vivis tantum, sed & pro defunctis, qui in fide christiana & in

B 3

com-

communione cum ecclesia obierant, orare soliti sunt, quas preces S. August. in lib. de cura pro mortuis graviter commendat: *Non parva est, inquit, universæ ecclesiæ autoritas; quæ hac consuetudine claret, in precibus sacerdotis ad altare etiam mortuos commendandi.* Et c. 4. *Non debent prætermitti supplications pro spiritibus defundorum, quas ecclesia pro omnibus in catholica societate defundit, etiam tacitis nominibus frequentat.* Jungi autem hæ preces solebant oblationi, ex quibus in deductione funeris eucharistia confici solebat, quem ritum nos docet S. August. l. 9. Conf. c. 12. ubi de funere matris suæ Monicæ scribit: *Nos corpus domo extulimus, exequias ivimus, & sine lacrymis sumus reversi: Ego enim nec in precibus, quas tibi o Deus pro matre fudi, cum pro matre sacrificium precii nostri offerretur, cadavere juxta sepulchrum posito, nec toto die flere potui, sed in occulto moestus eram.* Similem ritum celebrandi eucharistiam in funere S. Augustini observatum refert Possidius in vita Augustini. *Nobis adstantibus, inquit, obdormivit vir sanctus in pace, & bona senectute & pro commendando ejus funere sacrificium Deo oblatum est, antequam sepeliretur.* Existimo veteres christianos ideo in mortuorum exequiis eucharistiam celebrasse, ut, qui funus deduxerant, ad frequentius orandum pro defuncto excitarentur.

Hujusmodi instituta ecclesiæ olim damnavit Aërius, qui, præter quam quod Arianus esset, publice

publice docuit, pro mortuis nec orandum nec offerendum, ob quod dogma inter hæreticos fuit relatus, non tam ideo, quod pro defunctis nollet orare, sed quod damnaret Ecclesiam pro defunctis orantem, & statueret neminem salvari, qui pro defuncto oraret. Plura de Aërio apud Epiphanium hæresi 75. videantur. Inter alia sic scribit: *Quid utilius, quid commodius precibus pro defunctis* (an propter animas e purgatorio liberandas? minime, sed ideo) *quod bis precibus superstites contestentur se credere quod defundi sui a morte adhuc vivant apud Dominum.* *Memoriam autem facimus bis precibus pro justis peccatoribus: pro peccatoribus ideo, ut misericordiam Dei super illis imploremus. Pro iustis autem v. gr. Patriarchis, Prophetis, Apostolis, martyribus, ut gratias Deo agamus, pro beato illorum excessu. Oramus autem pro omnibus excepto Domino nostro J. C. ut hunc unum a reliquo hominum ordine separemus. Pro illo enim non mos orare, sed illum pro nobis orare necesse est.*

Fuit autem circa preces Veterum pro defunctis notabile discrimen Ecclesiæ Latinæ & Græcæ. Etsi enim in tota olim ecclesia mos orandi pro defunctis fuerit receptus, nunquam tamen in Ecclesia Latina mos fuit orandi pro Patriarchis, Prophetis, Apostolis, martyribus. Hinc scribit S. August. Serm. 17. de verbis Apostoli: *Injuria est orare pro martyre, nam ejus precibus nos*

*nos ipsi debemus commendari.* Et tractatu 84. in  
Johan: *Nos*, inquit, *ad sacram mensam Mart*-  
*tyres quidem commemoramus, sed pro his non ora-*  
*mus.* *Nos enim magis indigemus, ut ipsi orent pro*  
*nobis.* Quin potius pro his in Latina Ecclesia  
gratiæ Deo agebantur, & laudes, quod in tam  
arduo certamine gloriosam illis victoriam do-  
nasset. Hinc scribit 5. August.l. 22. de civit. Dei  
c. 10. *Nos uni Deo martyrum & nostro sacrifi-*  
*camus, in ipso autem sacrificio Martyres quidem*  
*nominantur, sed a sacerdote non invocantur.* Ita  
ergo tempore Augustini mos invocandi Marty-  
res ad altare nondum fuit. Nec porro mos fuit  
preces pro Martyribus fundendi, sed nomina tan-  
tum martyrum memoriae causa e sacris dypti-  
chis fuerunt prælecta. Dypticha erant tabellæ  
membrana obductæ, quibus nomina defunctorum  
erant inscripta.

In Græca autem Ecclesia martyres, non tan-  
tum ad altare nominati sunt, sed & pro iisdem  
æque ac cæteris defunctis oratum fuit. Patet  
hoc ex Liturgia Hierosolymitana, quæ vulgo  
Jacobi dicitur, ubi hæc formula orandi præscri-  
bitur: *Memento domine spirituum defunctorum,*  
*& universæ carnis, a iusto Abel usque ad hodiernum*  
*dierum. Da sanctis omnibus, ut quiescant in regione*  
*viventium, in Paradiſo, Sinu Abraæ.* Sic & Li-  
turgia Alexandrina, quæ vulgo Marci dicitur,  
formulas precum tradit, quibus Patriarchæ quo-  
que, Prophetæ, Apostoli & Martyres Deo com-  
mendan-

mendantur. Similia ex aliis Græcorum Liturgiis abunde constant. Atque hæ preces Græcorum insigne argumentum contra Pontificium purgatorii furnum nobis præbent. Quomodo enim orari potuit pro Prophetis & Apostolis, si nullus sit harum precum usus, quam ut animæ ex purgatorio liberentur. Fatentur enim Pontificii neminem ex Prophetis vel Apostolis in purgatorio fuisse.

In nostris hodie ecclesiis mos orandi pro defunctis non desit. Neque enim in publicis precibus vivos tantum Deo commendamus, sed, si qui proximis diebus in Christo deceperunt, Deum rogamus, ut animabus ipsorum propitiatus esse velit, placidam requiem corporibus & beatam resurrectionem in die judicii concedere. Hinc Apologia Aug. Confess. recte scribit: *Pontificii falso nobis impingunt hæresin Aërii, quem dicunt ideo damnatum, quod preces pro defunctis rejicerit.* Epiphanius testatur Aërium docuisse quod preces pro mortuis sint inutiles. Hæc recte reprehendit, nec nos hac in parte Aërio contentimus. Circa has preces legi meretur Urbanus Regius in libello de formulis caute loquendi, qui hodie pars est corporis Julii & multas ex V. Ecclesia formulas orandi pro mortuis, ab ipso B. Lutherò abrogatas, complectitur. Interim, ut quod res est dicamus, moris olim non fuit, ut gratiarum aetio pro defuncto institueretur, sed oratio solum pro Deo propitio à morte obtainendo.

C

Si

Si quæras, quem usum preces pro defunctis  
habent? Ex. licet distincte non constet, quid  
commodi ex ipsis precibus ad defunctos redundet,  
laudari tamen merentur quod sunt egregium ar-  
gumentum & symbolum conjunctionis animo-  
rum, quae inter vivos in terris & pie defunctos  
in cœlis intercedit. Sicut enim pii in cœlis si-  
ne dubio orant pro ecclesia in terris militante,  
ita non indignum est, pios in terris vicissim votis  
ac precibus defunctos suos proseguiri, & h.  
modo vices quodammodo reddere. Deinde  
notandum, quod de statu animalium post mor-  
tem non omnino simus certi, annon beatitudo  
earundem augeri vel minui possit? Harum re-  
rum ignorantia & flagrans vivorum affectus er-  
ga defunctos effecit, ut preces pro defunctis au-  
gerentur. Sed ut dixi, quis sit illarum fructus,  
nemo facile compertum habuerit. Interim si  
vel maxime haec preces sine omni fructu essent,  
nondum tamen christianis indignæ censeri de-  
bent, sed sufficit ex charitate erga defunctos il-  
las proficiisci. Rem simili illustro: Si forte fra-  
trem vel amicum in itinere feliciter absolvendo  
Deum quotidie ores, non sunt haec tuae preces im-  
piæ, quamvis frater ille tuus te inscio iter suum  
dudum absolverit, tu tamen recte fecisti, quod  
quamvis alter vota tua anticipaverit, tu tamen  
adhuc pro illo sollicitus fueris & pro eo orave-  
ris. Interim si quid dicendum de usu harum pre-  
cium, videntur haec ad mitigandum judicium  
discussio-

discussionis , & ad leniendum rigorosum illud  
examen operum nostrorum utiles censeri posse,  
illo die , quo de singulis etiam otiosis verbis ra-  
tio nobis erit reddenda ; nec haec tenus quicquam  
probabilibus de usu precum pro defunctis occur-  
rit. Quin in hac sententia Apostolus nos con-  
firmat, dum de Onesiphoro scribit : *Det ei Do-  
minus, ut misericordiam inveniat in illo die II.* Tim.  
I. v. 18. In illo igitur die adhuc inveniri mis-  
ericordia poterit , & nisi possit , cur in Litania  
oramus : *Aui jüngsten Gericht hilff uns lieber  
Herr Gott ! Esto cuvis suum hac de re judi-  
cium integrum !*

### PRÆFATIO.

Praefationes quibus adhuc ante eucharistiam  
utimur, *de cordibus sursum babendis & gra-*  
*tias Deo agendis*, satis antiquæ sunt, & ab univer-  
sa ecclesia olim receptæ ; hinc S. August. in lib. de  
bono perseverantiæ c. 13. *Dei munus est*, inquit,  
*quod in sacramento fidelium dicitur : Sursum corda !*  
*De quo munere Domino Deo nostro gratias agere,*  
*dignum & justum est.* Similiter in libell. de vera  
religione c. 3. scribit : *per omnes urbes & oppida*  
*per castella, vicos, agros, villasq; privatas, per uni-*  
*versum orbem christianos quotidie profiteri, se sur-*  
*sum habere corda ad Dominum.* Quid ergo, inquit,  
*besternam crapulam adhuc oscitamus ?* In eundem  
morem præfandi S. Chrysostomus in homilia de  
eucharistia commemorat : *Sunt nonnulli, qui in*  
C 2 *ipsa*

*ipsa hora terribilis hujus mysterii vaniloquentiae conventicula agunt. Quid facis homo e Annon sacerdoti, cum diceret, sursum cordn, promisisti, habemus ad Dominum? Annon erubescis, quod ea ipsa hora mendax inveniaris.*

Cum igitur vel maxime Veteres sursum corda habenda duxerint, ea hora, qua sacramentum eucharistiae fuit celebratum, hinc Græci eucharistiam eleganter vocarunt ἀναφορά, h. e. elevationem. Ita enim Anastasius Sinaita in oratione de sacra synaxi: *State cum timore in tremenda illa hora τῆς αναφορᾶς, elevatione: quo enim affectu quisque vestrum ad altare consilisit illo tempore, sic et sursum ad Dominum feretur.* Finita præfatione Veteres trifagium cecinerunt, quod ex angelico hymno Es. 6. desumptum, & ut in eucharistia caneretur, in Concilio Vasensi can. 4. fuit constitutum.

### CONSECRATIO EVCHARISTIÆ.

**I**pse Dominus noster Jesus Christus cum eucharistiam conderet, panem quidem fregisse, distribuisse, sed ante distributionem gratias egisse & benedixisse legitur. Idem sibi faciendum ecclesia duxit. Sed quia Salvator nullam certam consecrationis formulam præscripsit, ecclesia quoque primitiva ad certas voces aut preces se non adstrinxit. Scribit tamen Gregorius M. Apostolis morem fuisse, ad solam orationem, intellige Dominicam, consecrandi eucharistiam.

Sed

Sed nec hoc omnino ex prima antiquitate constat. Scribit quidem Justinus, qui Apostolorum ævo multo propior fuit quam Gregoris M. christianos in sacra synaxi pro virili Deum orasse, & gratias Deo egisse, sed quibus formulis, non exprimit. Audiri denique meretur Walafridus Strabo, qui de veteri ritu consecrandi hæc scribit : *Hodie multis precibus, multis lectionibus, multis cantilenis consecrandi officium peragimus, sed Apostoli, & qui Apostolis fuerunt proximi, paucis precibus & memoria passionis Dominicæ, prout Dominus præcepit, hanc rem peregerant.* Traditio majorum est, inquit porro, *Apostolico ævo Missas ita peractas uti hodie fit apud Latinos in die parœscives: illo enim die communicamus præmissa tantum oratione Dominicæ & commemoratione passionis ejus.* Ita Walafridus in Officiis divinis. Quod si ita sit, evidens est, apud nos hodie, eodem ritu eucharistiam consecrati, quo olim Apostoli consecrarunt.

DE

ELEVATIONE SYMBOLORVM.

**A** pud Pontificios quidem receptum est, ut symbola consecrata eleventur, sed hunc morem ecclesiæ nostræ abrogarunt, cum sit recentior. Creditur autem elevatio symbolorum primum ideo inducta, ut elevatio mentis ad Deum significaretur, unde etiam Græci eucharistiam vocarunt ἀναφορά h. e. elevationem, & in præfatione

\* (22) \*

fatione sacerdos admonet: *Sursum corda!* Alii putant, hoc ritu elevationem corporis Christi in cruce denotari: Hinc Germanus Patriarcha Constantinopolitanus in theoria rerum sacramentorum scribit: *elevatione sacri panis elevationem Christi in cruce & mortem in cruce, & resurrectionem Christi & ascensionem in caelos representat.* Alii dicunt ideo elevari sacra symbola, ut populus ad communicandum invitetur. Hinc scribit Nicolaus Cabasilas in expositione Liturgiae c. 36. *Sacerdos ostendo pane communicantes advocat, & dicit Sancta Sanctis! quasi dicat: Ecce hic est panis vita, accurrite & participes este, si quis vestrum sanctus est.* Apud Pontificios hostia ideo elevatur in missa, ut ad ejus conspectum populus in genua procumbat, eamque non aliter ac si Christus ipse adsit, adoret. Unde miratur, quod B. Lutherus in formula Missæ, quam Ecclesiæ Wittebergensi tradidit, elevationem hostiæ retinuerit, imo quo acrius hunc ritum Carolstadius impugnavit, eo diutius ille retinuit, prout ipse testatur in brevi sua confessione de sacramento.

### DE SACRIS SYMBOLIS.

**E**lementa vel symbola S. eucharistiae sunt ex Christi instituto panis & vinum. De pane ita dicitur in verbis Institutionis: *Dominus noster Jesus Christus in ea nocte qua traditus est, accepit panem.* De vino autem in calice ambigere nos non

non sinunt verba Christi, quamvis extra Institutionem dicta: *Non bibam amplius de hoc gremine vitis.* Luc. XXII, 18. Ratio ob quam Salvator hujusmodi symbola adhibuit, gemina videtur. Prior ista: Volut Servator his symbolis ritus Iudaicos circa agnum paschalem receptos ad sanctiorem usum referre, ut vel hac similitudine rituum Judaeos lucraretur. Erat enim apud Judaeos receptum, ut in festo paschae, cum agnum comederant, paterfamilias integrum panem in duas partes divideret, & uni Parti sic benediceret: *Benedictus es Domine Deus noster in esu panis azymi!* Sed alteram partem panis sub mappa ad finem usque convivii, reponere solebat. Peracto convivio protulit illam, & in tot particulas divisit, quot hospites in mensa aderant. Deinde ipse primus sumebat, & reliquis frustum panis distribuebat, his verbis additis: *Hic est panis aerumnæ, quem comederunt patres nostri in Ægypto, quisquis esurit accedat & paschabit!* Sed cum Salvator eucharistiam conderet, ex more illo Judaico panem retinuit & singulis discipulis frustulum dedit, quin & more Judaico benedixit, sed quia novum sacramentum condere volebat, loco posterioris formulæ ita dixit: *Accipite, comedite, b. e. corpus meum.* Porro apud Judaeos idem paterfamilias poculum vini accipere solebat, additis his verbis: *Benedictus sis domine, qui fructum vitis creasti!* Et hoc vocabant Judæi poculum benedictionis. Postea ipse

ipse paterfamilias vinum benedicatum libabat, proximo tradebat, donec per totum contubernium singuli libassent. Eundem morem in eucharistia Salvator retinuit, nisi quod hæc verba addidit: *Bibite ex eo omnes, hic sanguis N. Testamenti est*, quemadmodum hæc ex antiquitatibus Judaicis eleganter deduxit Scaliger de Emendat. temp. & ad sacram eucharistiam pulchre accommodavit B. Calixtus in Harm. Evangelistarum. Hinc igitur jam constat, cur Dominus panem & vinum in eucharistia adhibuerit. Posterior ratio est, quod variæ analogiæ panis & vini cum corpore & sanguine Christi intercedant: sicut enim panis confortat, pascit, nutrit, famem sedat, nauitem non parit, sic & comedatio corporis Christi; sicut vinum est succus preciosus ex rore coeli, sitim restinguat, cor lætitiat, sic & sanguis Christi. Sicut unus panis ex multis granis & vinum ex pluribus uvis exprimitur, ita nos omnes unum corpus sumus, quia de uno pane comedimus, & in unum spiritum potamur. I. Cor. XII, 13.

Cum igitur Salvator non alia elementa nisi panem & vinum fumferit, grande nefas foret, si ecclesia symbolis aliis uteretur. Itaque horribilis fuit prophanatio eucharistiæ, quando Gnostici loco panis semen virile comederunt, dicentes: *hoc est corpus Christi*. Et loco vini menstruum mulieris sanguinem biberunt, dicentes: *hoc est sanguis Christi*: prout refert Epiphanius hæref. 26. Nec minor fuit impietas

Cataphry-

**Cataphrygum**, qui arrepto infante sanguinem de tenero corpusculo acubus elicere, farinæ commiscere & panem inde confectum loco eucharistiæ comedere solebant; infans autem si inde moreretur, pro martyre habebatur, si super viveret, sacerdos summus fieri inter ipsos solebat, teste S. Augustino hæref. 26. Errarunt porro circa sacra symbola Peputiani vel ἀρτούρετας h. e. *panecasearii*, qui cum pane eucharistico caseum comedebant, teste iterum Augustin. hæref. 28. Errarunt quoque Hydroparastatæ, Encratitæ vel Aquarii, qui autore Tatiano, viro cætera docto, in vini locum aquam substituerunt, contra quos varie disputat S. Cyprianus l. 2. ep. 3.

Quod ad sacrum panem attinet, perinde est sive azymus illes sit, sive fermentatus. Sine dubio Christus, cum eucharistiam instituit, pane azymo fuit usus, cum per dies istos paschales alio pane vesci Judæis non licuerit. Non ergo peccat ecclesia Latina, quæ in sacra eucharistia azymum panem usurpare, & male faciunt Græci, qui ob usum azymi Latinos *azymitas* vocant. Græci quidem in hunc usque diem, in S. eucharistia panem ἄζυμον vel fermentatum adhibent, & hi non Christi quidem exemplo, sed exemplo primitivæ ecclesiæ tueri se possunt, cum primi christiani, si non diutius, faltem usque ad tempora Alexandri primi, qui vixit A. C. 107. pane enzymo vel fermentato in sacris usi. Ideoque peccant Latini, qui ob usum panis fermentati,

D

Græ-

Græcos fermentatos appellant. Antiqua est traditio Episcopum Romanum, quem dixi Alexandrum, omnium primum sanxisse, ut eucharistia in azymo fieret. Juvat hac de re audire Platinam, qui de institutis Alexandri I. ita scribit: *Constituit Alexander ut aqua lustralis sale commixta in templis & cubiculis poneretur. Voluit quoque Alexander in consecratione eucharistiae aquam vi- no misceri, ut indicaretur Christus cum ecclesia conjuncta.* Denique Alexander oblationem panis eucharistici non ex fermentato, ut hactenus moris fuerat, sed ex azymo fieri, ut panis esset purior. Hæc Platina. Quicquid sit de hoc decreto, ecclesiæ nostræ omnes ex veteri Latinorum more in eucharistia panem azymum retinuerunt, ita tamen ut Græcos ob usum panis fermentati non condemnemus. Res enim est indifferens nec de substantia panis: panis enim dicitur hoc omne, quod ex farina commoliti frumenti, & ex aqua pistum est & coctum. Fermentum certe est extra panis essentiam, quod docent varia panis genera, a Plinio recensita l. 8. c. II.

Porro utimur hodie non azymo tantum sed & rotundis placentulis, quas hostias vel oblatas vocant, nec Calvinianos quosdam attendimus, qui de hostiis nostris scabiose loquuntur: dicunt enim non panem esse, sed spumam panis, it. rem numerariam. Sed mirum est a Calvinianis hæc dici, cum ante paucos adhuc annos totum regnum Angliæ, quod est Calvinianum, his hostiis fuerit

rit usum, imo in ipsa Vet. ecclesia animadverti  
in usu eucharistiae rotundas hujusmodi placen-  
tulas, saltem Epiphanius tempore usitatas. Nam  
Epiphanio in Ancorato panis eucharisticus  
eleganter dicitur esse *rotundæ figuræ*; quin &  
concilium Nicenum affirmat modicum panis  
fuisse sumtum, addita ratione, quod sacer-  
ille panis, non ad satietatem, sed ad sanctitatem  
sumatur. Prisci quoque sacra symbola, com-  
muniter micas, buccellas, sacras particulas vo-  
carunt, teste Casaubono exercitatione 16. Unde  
constat exigua frustula communicantibus olim  
porrecta. Christus quidem fateor, hujusmodi  
oblatis usus non est, sed & nullibi eas prohibuit.  
Proinde qualitas & quantitas panis ad essentiam  
eucharistiae non pertinet, & perinde est, sive sit  
panis triticeus, sive filagineus, sive avenaceus,  
sive hordeaceus, sive rotundus, sive oblongus,  
sive specialiter ad hunc usum præparatus, sive do-  
mesticus aut vulgaris: modo scandala infirmo-  
rum caveantur.

De vino benedicto certi quidem sumus, Chri-  
stum in vino æque ac pane eucharistiam condi-  
disse, sed nullibi est mandatum an album an ru-  
brum sit vinum, an meracum an crama, hoc est  
aqua dilutum. Mihi quidem fit verosimile Chri-  
stum non puro vino sed cramate usum & vinum  
aqua temperasse: Cujus asserti duæ mihi ratio-  
nes suppetunt: Prior est, quod in Palæstina,  
aliisque regionibus orientis vina nimis calida  
D 2 dentur,

dentur, quæ ad mensam bibi vix possunt, nisi aqua temperentur. Videtur igitur Christus ad morem Orientalium vim vini affusa aqua temperasse. Posterior ratio est, quod ecclesia a prima usque ætate non merum vinum, sed aqua dilutum in S. Eucharistia sine dubio ad Christi exemplum usurpaverit. Inde scribit S. Justinus apol. 2. in S. Eucharistia poculum vini & aquæ offerri. Similiter S. Irenæus l. 5. c. 2. calicem Dominicum vocat mixtum, quod vino aqua sit commixta. S. Cyprianus cum contra Aquarios, qui loco vini solam aquam substituebant, graviter disputavit, existimat nec solam aquam, nec solum vīnum in eucharistia adhibendum, sed utrumque; quin & in concilio Carthaginensi III. cui ipse S. Augustinus interfuit Can. 24. cautum est, ut in eucharistia offeratur, quod Dominus tradidit, panis, vinum & aqua; inde in hunc usque diem, tam Græca quam Romana ecclesia morem aliquid aquæ calici Dominico affundendi unanimiter retinet. Itaque in nostris quoque ecclesiis hic mos, in quem nullus fuit abusus inventus, retineri potuisset, sed quia res est indiferens, nec de essentia sacramenti, quod fatetur Bellarminus ipse l. 4. de Euchar. c. 11. cumque alias in his septentrionalibus terris vina, a natura jam satis fint temperata, ut aquam affundere non sit necesse, auspices quoque reformationis non peccasse videntur, dum hunc ritum una cum aliis abrogarunt.

Circa

Circa hanc aquæ affusionem notandus est mos Græcorum, qui aquam ante calefaciunt, quam vino affundant, qua de re ita scribit Nicolaus Cabasilas in Liturgia sua c. 17. Nos Græci aquam calidam sacramento infundimus, quia hæc cum aqua sit & ignis, Spiritum S. denotat, qui in sacris velut aqua effundi & velut ignis super discipulos apparuisse dicitur. Germanus Constantinopolitanus in theoria rerum sacrarum scribit, apud Græcos populares suos ex parva lebete aquam calidissimam hauriri, eaque poculum sacræ mensæ temperai ideo, ut denotetur, de divino Christi latere vivum adeoque calidum sanguinem Christi communicantes haurire. In eundem sensum dixit Nicetas Pectoratus in libello contra Latinos: Nos calicem domini ex latere Christi calidum bibimus, quia calidus sanguis & aqua ex vivifica Christi carne promanauit. Verum hic mos Græciæ ita expositus errorem continet, quasi sanguis & aqua de vivo Christi corpore emanaverit. Atqui Evangelista mortuo Christo latus apertum affirmat. Egregie etiam Græcos refellit Humbertus Sylvæ Candidæ Episcopus: Quæro ex vobis: ait, an aqua vel sanguis caluerit, aperto Christi latere: Si sanguis tantum, cur aquam calefacitis? si aqua, quid ni etiam aquam baptismi, cuius symbolum fuit aqua lateris Christi, similiter calefaciis? Certe a Christo aquam calidam in S. eucharistia non adhibitam, inde constat, quod in verbis

institutionis nulla prorsus aquæ fiat mentio , & si vel maxime aqua a Christo fit adhibita , factum hoc est ad vini calorem temperandum ; sed calorem temperandum alium calorem addi non oportet . Interim recte Innocentius IV. hunc ritum Græcorum inter errores tolerabiles recenset .

Gravior certe error fuit in V. ecclesia Tatiani , qui quamvis ideo sit laudandus , quod primus ipse seculo II. harmoniam evangelicam scriperit , graviter tamen erravit , dum omnem vini usum in S. eucharistia sustulit , ejusque loco aquam substituit . De hac secta ita scribit Epiphanius hæres . 46. *Tatianus cum suis discipulis in sacramento solam aquam adhibet , sed à vino prorsus abstinet , dicens ; Vinum diabolicum esse & impios qui vinum bibant.* Theodoretus l. 1. hær. fabularum hydroparastatas illos vocat , & S. Augustinus in libello ad Quotvultdeum , aquarios dixit , & de iisdem hæresi 47. hæc resert : *Vinum non bibunt ideo quia fabulantur , vitem ex congressu Satanae cum terra germinasse.* Hos secuti sunt Manichæi , qui teste eodem Augustino à vino etiam abstinuerunt , dicentes , *vinum esse fel principis tenebrarum , hinc in sacris publicis addit idem Augustinus sanguinem Christi haurire nolebant , sed solum panem sumebant ; postea cum veniret minister calicis , Manichæi è templo se proripiebant , vel si manerent , à bibendo vino se excusabant , sub hoc prætextu , se ab-*

se abstemios esse. Unde discimus, quod in ecclesia primi communicantes sub una Manichæi furerint, quos propterea Leo M. sacrilegii accusat serm. quadragesimali 4. De cætero alios Veterum circa vini symbolum errores Julius Papa recenset, v. gr. quod nonnulli lac pro vino, alii hostiam intinctam populo dederint, quos idem Julius ex institutione Christi reprehendit, ut legere est in decreto Gratiani de consecratione distinct. 2. Fuerunt alii qui loco vini mustum, mel aut siceram dederunt, qui per canones Apostolorum condemnantur.

## DE

## SACRIS CALICIBVS.

**I**N primitiva ecclesia christiani ligneos calices habuisse fama fert : Hinc scribit Walafridus Strabo in l. de rebus Eccl. c. 24. S. Bonifacium Apostolum Germaniæ olim quæsitum fuisse, an liceret, ex vase ligneo Eucharistiam dare ? facete respondit Bonifacius : *Olim sacerdotes erant aurei, sed calices lignei : Hodie mutatis vicibus, aurei quidem sunt calices, sed lignei sacerdotes.* Postea vero ligneis calicibus vitrei substituti sunt, autore Zephirino Papa, ut ex vita ejus constat; quin & tempore S. Hieronymi vitreos adhuc calices fuisse, hæc ejus verba in epistola ad Rusticum docent; *Nemo, ait, ditior Exuperio, qui corpus domini in fimine canistro & sanguinem Christi in vitro offert.* Sed sequentibus seculis, præteritum in

Con-

Concilio Triburiensi & Rhemensi prohibitum est, ne amplius sacri calices ex ligno vel vitro fierent; non ex ligno, ob porositatem, quod intra poros ligni facile aliquid vini benedicti haerere possit; non ex vitro, ob fragilitatem, quod vitrum facile frangi & vinum sacrum effundi possit. Sed nec stanno calices formare fuit integrum ob teturum saporem, quem ex stanneo vase vinum facile concipit. Invenio tamen jam S. Augustini tempore calices ex auro & argento formari coepitos: Horum enim meminit August. l. 3. contra Cresconium c. 29. Solebant porro Veteres calices suos pingere, celare, & certis figuris notare: Hinc Tertullianus in lib. de pudicit. c. 7. refert jam suo aëvo, h. e. seculo III. ineunte, ecclesiam in calicibus suis ovem perditam à pastore humeris ad ovile redactam, depictam habuisse. Atque hæ imagunculæ sacrorum calicum sunt omnium primæ & antiquissimæ, quarum in ecclesia fit mentio.

Fuerunt de coetero in ecclesia olim calices ministeriales, ideo sic dicti, quod ex his sanguis Christi populo communicanti administraretur, qui calices insigne testimonium præbent, olim, ne media quidem aetate, communionem sub una non fuisse, sed laicos æque ac sacerdotes sub utraque communicasse. Ita refert Autor vitæ pontificum, quod Sixtus III. duos calices ministeriales Ecclesiæ Romanae donaverit, & Remigius

\* (33) \*

gius Episcopus Rhemensis , cum calicem ministerialem fieri curasset , hunc versiculum in circuitu posuit :

*Hauriat bine populus vitam de sanguine Christi.*

Operæ pretium est h. l. referre , quæ Willh. Lindanus, acerrimus alias Lutheranorum hostis, de calicibus Veterum ex sacris antiquitatibus observat : *Cum , inquit , sanguinis Christi effusio timeretur , ad sacros calices canna est ferruminata , iisque affabre inserta , unde populus sanguinem Christi non tam biberet quam fuderet. Hujusmodi fistulatos calices ipsi nos confeximus Boltzwardie in Frisia, eosq; stanneos. Similes calices cum fistula sed argenteos in monasterio Tabor , & Berchbu supereffe ajunt. Huc referendi sunt duo calices , quibus S. Bonifacius fuit usus , qui bodie in cœnobio Fuldense ostenduntur ; horum alter valde exiguis , & vix quarta parte bodiernis calicibus æquandus : Nam calix ille Bonifacii altitudine sua vix palmam excedit , habetque orificium tam angustum , ut una hostia totum obtegere possit. Addita est patenula ex puro auro , quæ æque ac calix trium digitorum latitudinem excedit. Ex hoc calice , pergit Lindanus , credo sanctum Bonifacium sibi soli communicasse ; Alter autem calix Bonifacii habet instar magni vasis potorii , estque argenteus. Existimat quidem vulgus hoc poculo Bonifacium quotidie in mensa usum , sed ego arbitror*

E

ex

*ex majori hoc calice , Bonifacium populo Christia-  
no sanguinem Christi præbuisse. Idoneum enim est  
hoc poculum , unde populus sine periculo effusionis  
bibere possit : Habet enim duas ansas , et que nec  
rotundum nec quadratum sed instar pomi orbicula-  
tum. In sacris certe hujus poculi usum fuisse con-  
stat , quod in circumferentia hujus poculi stent ex-  
sculpti 12. viri , veluti sacerdotes casulati , qui cali-  
cem manu ostentant , quasi populum ad sumendum invi-  
tent. Hæc ita Wilhelmus Lindanus in panoplia  
sua evangelica l.4. Quæ cum ita sint , evidens est  
primos christianos , quos S. Bonifacius convertit ,  
sub utraque communicasse , adeoque morem com-  
municandi sub una , contra praxim veteris ecclesiæ  
in Germania esse.*

*Sed nec minus operæ precium est hoc loco  
audire , quæ B. Rhenanus de canna , fistula vel  
calamo , calicibus olim apposito , scribit : Nolim ,  
ait , latere studiosos S. antiquitatum , laicos olim  
apposita canna è calice Dominicum sanguinem hau-  
sisse , quod mibi pridem indicavit Abbas quidam  
ex veteri libro , qui & hoc addidit , inter consti-  
tutiones Carthusianorum haberi , ne quis mona-  
chus aliquid pretiosi possideat , præter argenteum  
calicem , & fistulam , qua laici Dominicum sanguini-  
nem absorbere possunt. Extat quoque libellus de  
veteribus thesauris ecclesiæ Moguntinæ , ante hec  
quatuor secula conscriptus , ubi inter thesauros ec-  
clesiæ illius , aurei calices magni ponderis iij. ansati ,  
juxta*

\* ( 35 ) \*

juxta sex argenteæ fistulæ , quæ tempore communio-  
nis in usum communicantium , c alicibus fuerint apposi-  
tæ , recensentur . Quin & in bunc usque diem Roma-  
nus Pontifex , quoties publice sacrificat , aureum cala-  
mumbabet , quo sanguinem Domini ex calice cum Dia-  
conos suo fugit : Hæc ita Rhenanus in Scholiis ad  
Tertullianum .

DE  
INTINCTIONE PANIS IN  
CALICEM .

IN V. ecclesia moris erat , ut non adultis tan-  
tum , sed & infantibus sacra eucharistia præbe-  
retur . Jam vero per æstatulam infantes utram-  
que speciem seorsim sumere sæpe non poterant ,  
hinc aliquando Pontifex , constituit , ut infanti-  
bus hostia vino madefacta præberetur , ut ed  
commodius deglutiri ab infante posset . Idem  
mos intingendi panem circa ægrotos ob simi-  
lem fere causam fuit observatus . Testem hu-  
jus consuetudinis laudo Eusebium , qui l . 6. hist.  
eccl . c . 36. memorabilem hanc historiam de Ser-  
apione refert , hoc modo : Erat apud nos fidelis  
senex Serapio , qui magnam vitæ partem sancte  
vixerat , sed in ultima persecutione fuerat lapsus .  
Hic postea penitens sæpe ad ecclesiæ communionem  
restitui petiit , sed quia idolis sacrificaverat , nemo  
illum hacenus audiuerat . Non diu post in gra-  
uem morbum incidit , & per triduum veluti mutus  
E 2 decubuit ,

decubuit , quarto post die recepta voce nepotem ad se vocavit dicens ; propera fili , & aliquem ex presbyteris accerse : cum dicto iterum obmutuit , puer interea ad presbyterum abiit , sed quia nox erat , & ipse presbyter agrotus , venire ad Serapionem non poterat ; nihilominus ne Serapio sine viatico decederet , puer aliiquid panis benedicti dedit & jussit ut frustulum hoc vino intingeret , & sic intinctum in os moribundi infunderet . Puer redeunti Serapion statim acclamauit : Scio presbyterum non venturum , tu interea fac quod ille jussit : statim ergo puer hostiam maledactam in os avi sui innixit . Qua vix accepta Serapion spiritum emisit . Vnde discimus jam in V. ecclesia & quidem Eusebii adhuc tempore morem intingendi panem sacrum in vinum fuisse receptum , qui tamen postea severissime fuit prohibitus .

Primus qui hunc intingendi morem in ecclesia Latina denuo abrogavit , fuit A. C. 340 . Julius Papa cuius rescriptum in jure Canonico de Consecratione dist. 2. tale extat : Solent nonnulli populo intinctam eucharistiam dare , sed hoc non est conforme evangelio , ubi Salvator eum corporis sui , & bibitionem sanguinis sui commendauit : seorsim enim panem , & seorsim calicem dedit . His gemina tradit Micrologus in libello de ecclesiasticis observationibus : Non est , inquit , authenticum , quod quidam corpus Domini intinctum populo distribuunt : Contradicit enim ordo Romanus , & Julius

*Ilius Papa, & Gelasius Papa, qui excommunicare iubet illos, qui hostiam calici intingunt. Simile in modum Hildeberdus Episcopus Xenomanensis graviter Abbatem reprehendit, qui in monasterio suo panem intinctum distribui erat passus: hoc, inquit, nec institutioni Christi, nec veterum canonibus est conforme.*

Eo tamen non obstante, sequori ævo mos intingendi hostiam in ecclesia Latina revixit, imò quo magis transubstantiatio invaluit, ed excusator & tolerabilior habita est intinctio. Hinc scribit Ivo Carnotensis, qui seculo XI. claruit: *Juxta canonem quidem Toletanum in eucharistia non licet vesci pane intincto, sed excipiendus est populus, cui ecclesia hodie panem intinctum porrigit, non quidem auctoritate S. Scripturæ, nec V. ecclesiæ, sed ob summum timorem, ne sanguis Christi à laicis effundatur. Sic & Nicolaus Cusanus epistola 3. quam de communione sub una ad Hussitas in Bohemia scripsit, hanc quæstionem, cur ecclesia hostiam sanguini intinctam porrigat, cum tamen Salvator aliter instituerit, & veteres Pontifices morem intingendi damnaverint? ita respondit: Facimus hoc ob summam sacramenti reverentiam, & ad vitandum periculum effusionis: Tandem vero concludit: Nolo hac de re ulterius loqui: Neque enim arguo fautores Dominicæ institutionis, qui seorsim panem, & seorsim calicem administrant: Sed & ecclesiæ disciplinam & piam cautelam commendo.*

Utinam vero Pontificii , si seorsim populo calicem præbere noluissent , saltem hunc intingendi morem conservassent . Sed quo altiores radices transubstantiatio egit , eò majus fuit periculum effusionis , donec tandem sacrilega consuetudo , plebem ab omni usu vini in sacra eucharistia excludendi , invasit .

D E

RITIBVS COMMVNICANTIVM.

**M**oris erat in V. ecclesia , ut Diaconus tempore communionis sonora voce clamaret : *Sancta Sanctis !* ut videre est apud Clementem Romanum l. 8. constitutionum Apostolicarum quæ dicuntur , c. 13. quibus auditis communicantes non corda tantum , sed & externo corporis habitu ita se disposuerunt , ne quid indecori committerent . Quanta cura S. eucharistiam sumserint , eleganter docet S. Cyrillus , dum Catechesi 5. sic scribit : *Qui ad communionem vult accedere , hic manus non debet expandere , nec digitos disjungere , sed sinistram veluti thronum subiecere dextræ , & concava manu hostiam suscipere , cumque oculos intuitu tam sacrí corporis pavit , tum demum communicare & panem ori immittere ; deinde calicem sumturus , manus non extende , sed adorabundus & prono in terram vultu , sanguinem Christi accipe , & dum adhuc humiditas hæret in labiis*

*labiis tuis, manu labia continge, & sacro illo humore  
oculos tuos, frontem & cetera organa sensuum con-  
sehra: Denique Deo gratias age qui tanto mysterio te  
dignum reddidit: Retinete has traditiones, easque con-  
stanter servate.*

Observandum autem est, hæc à Cyrillo ad viros dicta: nam foeminis corpus Christi non nuda manu excipere licuit, sed linteo, quod pri-  
sci dominicale vocant. Docet hoc S. Augustinus sermone 152. de tempore: *Omnes viri, in-  
quit, cum communicare volunt, manus lavare de-  
bent: mulieres autem omnes nitida linteamina ex-  
hibere, quibus corpus Domini suscipiant: Imo in  
concilio Antisiodorensi, quod sub Gregorio M.  
habitum est, idem ille mos mulieribus fuit præ-  
ceptus. Verba Concilii hæc sunt: Non licet mu-  
lieri nuda manu Eucharistiam sumere, nec manus ad  
pallos altaris extendere, sed quævis mulier cum com-  
municat dominicale habet: quod si non babuerit, com-  
munion ejus in proximum diem dominicam differatur.*  
Unde constat, non nisi à viris manu nuda, sed  
lota, corpus Domini exceptum. Cyprianus  
propterea manus Christianorum vocat illustres,  
quin & Damascenus l. 4. fidei orthodoxæ c. 14.  
communicantes jubet, ut manus in formam cru-  
cis componerent, cum corpus crucifixi suscipere  
volunt.

De cetero constanter fuit in ecclesia rece-  
ptum, ut jejuni communicarent. Hinc licet  
aliquan-

aliquando vesperi missas agerent, sicutum tamen est in multis conciliis, ne vespertina quoque communio, aliis quam jejunis daretur: Confer S. Ambrosium homil. 8. in Ps. 119.

In Graeca ecclesia fuit usus lanceae, cui hostiam imponere eamque communicantibus praebere solebant. Sed loco lanceae apud Veteres nonnullos erat cochlear, quo non hostia tantum, sed & vinum ex calice in os communicantis immittebatur: quemadmodum ex missa Aethiopica constat.

Post communionem alius potus isque vulgaris dari solebat, ne si quid intra os vel fauces hæsisset, id cum saliva expueretur, quem morem refert Sozomenus l. 8. hist. c. 70. Apud Aethiopas moris est, ut Diaconus post communionem lac & mel porrigit hac formula: *Accipite lac & mel immaculatum, in secula amen!*

Denique de loco communicantium notetur, quod in V. ecclesia soli clericis, intra chorum communicarint, sed populus extra chorum, imo hoc erat primarium munus Diaconi, ut eucharistiam ad christianos extra chorum stantes deferret..

### DE SANCTO OSCVLO.

IN sacra synaxi moris erat, ut christiani se invicem oscularentur, addita hac salutandi formula: *Pax tibi Frater vel Soror: ut videre est ex*

ex oratione Justini ad Antoninum Cæsarem. Ex hoc osculo nata est primis seculis calumnia, Christianos in suis sacris Oediopodios vel promiscuos agere concubitus, & fratres cum fororibus nefarie commisceri, quod refert Tertullianus in Apologetico suo c. 9,

Interim hæc oscula in templis non erant inter viros ac foeminas promiscua: nam in Vere-  
rum templis viri à foeminis seorsim stabant, &  
foeminæ quidem communiter in tabulato supe-  
riori, perinde uti in templo Hierosolymitano vi-  
ri à mulieribus loco erant distincti, teste Josepho  
l. 6. de bello Jud. cap. 6.

Haec oscula apud Christianos sancta vocaban-  
tur, quod in signum mutui amoris & pacis &  
conjunctionis animorum darentur. Fundantur  
in ipsis S. literis. Ita enim Petrus sub finem  
prioris suæ epistolæ monet: *Salutare vos in vi-  
cem osculo sancto.* Quod communiter etiam Pau-  
lus sub finem suarum epistolarum faciendum  
admonet. Observandum tamen est ab osculo  
illo sancto christianos diebus jejunii abstinuisse,  
juxta in die parasceves & sabbatho sancto, teste  
Tertulliano in lib. de oratione. Ratio erat,  
quod osculum animi gestientis argumentum es-  
set, quod diebus jejunii ob luctum publicum ma-  
le conveniret.

De cœtero apud veteres sumta Eucharistia,  
tanta erat lætitia, ut reperti sint, qui post com-

F mu-

munionem statim ad martyria se obtulere, quasi  
lætitiam animi continere non possent. Grande  
nefas erat, si quis die, quo communicaverat, jejuni-  
um ageret, vel mœrorem conciperet, quin potius  
dies illos, quibus communicaverant, dies lætitiae,  
dies remissionis, dies immunitatis, dies solennes  
appellarunt, teste Albaspinæo de priscis ecclesiæ  
ritibus I. I. c. 12.

DE  
CVLTV SACRORVM  
Symbolorum.

**Q**UAM reverenter Veteres sacra symbola tra-  
staverint, hoc jam suo ævo Tertullianus  
docet, cuius in libell. de corona militis hæc ver-  
ba sunt: *Nos de calice aut pane nostro anxie pati-  
mur aliquid in terram decuti.* Ad eundem mo-  
dum Origenes Hom. 13. in exod. *Nostis cum qua-  
cautela corpus domini servetis, ne vel parum ex  
eo decidat.* S. Cyrillus catechesi quinta cum dixe-  
rat, quo ritu communicandum esset, subjungit;  
*Cave ne quid inde tibi excidat: si quid enim amit-  
tas, aestima ac si de proprio membro aliquid amiseris;*  
*nam si quis tibi aurea ramenta daret, an non maxime  
caveres, ne quid inde periret, atqui hoc quod in Eu-  
charistia datur, est auro & gemmis preciosius, cave  
ergo ne mica aliqua ex eo decidat:* Ita quidem in  
V. Ecclesia.

Græci

Græci hodie sacra symbola pari reverentia tractant, habent enim mensam quam prothesin vocant. Huic panem & vinum imponunt, eademque precibus ad usum Eucharistiae consecrant, consecrata ad altare majus, quod vocant ἀγία τράπεζαν deferunt. Dum vero sacerdos symbola defert, ad altare adstantes caput profunde inclinant, & totum corpus inflectunt, sed in genua non procumbunt.

Apud Latinos autem cum præsentia Christi sub symbolis consecratis permanens fuit credita, religio erga hostiam mire fuit aucta. Hinc jam XII Seculo Odo episcopus Parisiensis constituit, ut Eucharistia cum lucernis & psalmis ad ægrotos deferretur, & ut omnes obviam facti in genua procumberent, manibusque conjunctis orarent, donec sacerdos cum hostia præteriisset, Seculo XIII. ineunte Honorius instituit, ut elevata hostia omnis populus in templo sese reverenter inclinaret. Circa eadem tempora Cardinalis Wido præcepit, ut ad elevationem hostiæ nola sonaret, omnisque populus genibus flexis jaceret, & veniam peccatorum peteret. Post medium seculi XIII. Urbanus IV. festum corporis Christi fere hanc unam ob causam instituit, ut illo die populus hostiam adoraret. Sub idem tempus nova coepit consuetudo, hostiam per plateas urbis & circa agros spectaculi loco gestandi, non aliter ac si Ethnicorum hostia Ambarvalis

vel Ambarialis esset , qui mos veteri Ecclesiæ omnino contrarius est; nam olim nulli flagitioso, nulli infideli, imo ne penitentibus quidem spectandæ Eucharistiaæ licuit interesse. Sed dum ita circumfertur omnes etiam flagitosi, Judæi & Turcæ si qui ad sint ad spectandam eam admittuntur. Pontifex hodie cum iter vult agere, non hunc honorem Eucharistiaæ defert , ut proxime ante se faciat deferri , sed triduo antequam ipse iter ingreditur , hostiam equo impositam cum lixis & calonibus mittit ad eum locum, ad quem ipse postea tendit. Vid. hac dere Autor Brutii fulminis.

In nostris hodie ecclesiis, quia durabilis præsentia Christi extra usum Eucharistiaæ non creditur, hostia latræ cultu non afficitur, imo pontificios saltem materialiter idololatras, vel ut rectius dicam, artolatras censemus, quod Deum panaceum vel Deum ex tritico, loco corporis Christi adorant. Nihilominus sacra illa symbola magno honore dignamur: Hinc apud nos altari bus scabella sunt apposita , ut qui Eucharistiam sumunt , in ipso usu in genua procumbant, & latrati, qua Christum adorant, externo quoque genuum flexu contestentur. Fit ergo in nostris ecclesiis, quod de suo seculo dixit S. Augustinus in Ps. 98. nemo apud nos illam carnem manducat, nisi prius adoraverit. In eundem sensum dixit B. Lutherus comment. in cap. 47. Gen. *Licet in Eucha-*

\* (45) \*

Eucharistia nihil daretur nisi panis & vinum, quod sacramentarii contendunt, nihilominus haec nuda symbola, quia verbo Dei sunt instituta, reverenter accipi debebant.

DE  
VARIA VETERVM COMMV-  
NIONE.

Genera communionum apud Veteres unius generis non fuerunt, & valde errant, qui cum communionem vocari audiunt, statim Eucharistiae usum intelligunt. Fuit autem olim alia communio Clerica, alia Laica, alia peregrina; quæ species communionum ob pontificios probe sunt discernendæ: nam Pontificii, inter quos Bellarminus, imperitis sacrarum antiquitatum persuadent, communionem Laicam sub una, Clericam sub utraque fuisse. Sed hic puerilis error est, nam Laica communio apud Veteres æque ac Clerica sub utraque fuit. Differunt autem ita; communio Laica erat, quæ dabatur Laicis extra chorūm stantibus, eratque pena cletici degradati: nam si quis clericus ob delictum e clero erat depositus, & in ordinem laicorum redactus, huic non licebat amplius in choro cum clericis consistere, sed stabat cum laicis extra rō βῆμα & cum laicis communicabat. Communio clerica erat, si quis in clero adhuc positus

F<sub>3</sub>

cum

cum cæteris clericis non stabat tantum in choro, sed & communicabat. Communio peregrina erat, si quis peregrinus clericus venisset, qui cum reliquis clericis in choro stabat, orabat, communicabat, sed non habebat jus obeundi ministeria sacra, quod peregrinus esset, nisi forte Episcopus clero peregrino etiam hoc jus specialiter concederer. Interdum vero etiam domesticis vel non peregrinis communio peregrina legitur data, si nimirum domesticus clericus ob delictum ab officio suo ad tempus esset suspensus, huic quidem cum coeteris clericis stare licebat, sed a ministerio altaris erat exclusus, ut proinde communio peregrina fuerit suspensio ab officio, communio laica degradatio clericorum.

Præter hæc tria communionum genera apud veteres communio præsanctificatorum, quæ fieri solebat de symbolis heri vel nudius tertius consecratis, cujusmodi communio adhuc frequens apud Cræcos. Hi enim per totam quadragesimam non consecrant nisi Sabato, & die dominico, sed hoc biduo tantum consecrant, ut in totam hebdomada sufficere possit. Cum ergo de hujusmodi symbolis eucharistia datur, hæc dicitur communio de præsanctificatis. Apud Latinos hujusmodi communio non nisi semel quotannis fuit in usu, nimirum in die paraseves. Legi de his plura possunt in tractatu B. Calixti de Commun. sub una §. 145. Fuit porro

porro communio per viaticum, quæ moribundis dari solebat: *εφίδιον* enim vel viaticum veteres eucharistiam appellant. Præterea fuit communio per eulogias, quæ catechumenis data est. His enim ad usum eucharistiæ præparandis, panis benedictus, non tamen eucharisticus, fuit præbitus, ut catechumeni eucharistiæ prægustum haberent.

## ASSERVATIO SACRORVM SYMBOLORVM.

**R**eceptum fuit apud vetetes, ut aliquando eucharistiam domum deferrent, præfertim tempore persecutionis. Scribit S. Cyprianus Serm. de lapsis, fuisse foemina, quæ sanctum Domini in arca custodiverit. S. Ambrosius refert, fratrem suum Satyrum panem benedictum in orario gestasse, & ad collum ligasse, cumque eodem metu naufragii in mare profiliisse. Sed hic mos domum e templo ferendi panem benedictum postea ab ecclesia severè fuit prohibitus. Hinc in Consilio Cæsaraugustano canon tertius est: *Si quis eucharistiæ acceptam in templo non comededit, anathema sit in perpetuum.*

Publice autem in templis hostiam reponendi mos diu obtinuit; hinc in templis fuerunt *hierothecæ*, & *aureæ columbæ*, teste Amphilochio in vita Basiliij M., quibus sacra symbola affervata sunt; quin & S. Hieronymus comment. in El.

c. 22. scribit in quovis templo *pastophorium* vel thalamum fuisse, ubi eucharistia fuerit custodita. Hinc S. Chrysostomus in epist. ad Innocentium scribit, milites in templo ingressos omnia arcana spe&tasse, imo sanguinem Christi in vestes militum effusum.

Denique sciendum, fuisse olim nonnullos qui eucharistiam secum in sepulchro suo reponi curarunt. Tribuit hoc Amphilius S. Basilio M. dum refert Basilium morti vicinum hostiam in tres partes divisisse, unam comedisse, alteram in aurea templi columba suspensisse, tertiam conservasse, ut secum sepeliretur. Verum Amphilius, qui haec refert, est fidei suspectæ. Interim certum est in V. ecclesia, nonnullos repertos, cum quibus Eucharistia fuit sepulta. Habemus enim multa concilia, quibus hic mos fuit prohibitus, nempe Concilium Carthaginense III. can. 6. Concilium Hippone nse can. 5. & Concilium Trullanum, quibus ratio addita, quod Christus in eucharistia panem comedere, ac vinum bibere, juss erit, mortuos autem nec edere nec bibe-re posse.

Et hactenus de eucharistia veterum, qua ad finem perducta antiquitates ecclesiasticas in sacris publicis Veterum obvias, bono cum Deo nunc terminamus.

*F I N I S.*

AB:153257



St

VD18

VD17

R



**Farbkarte #13**

Inches  
Centimetres

8	
7	
6	
5	
4	
3	
2	
1	
1	1
2	2
3	3
4	4
5	5
6	6
7	7
8	8
9	9
10	10
11	11
12	12
13	13
14	14
15	15
16	16
17	17
18	18
19	19

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

14

HILDEBRANDI  
ATA CELEBERRIMI

ALE  
RISTIAE  
CCLESIAE

SECTIONIBVS  
CATVM

VO DESTINATVM

SCHMIDIO D.



TADII

GI HAMMII, ACAD. TYPogr.  
DCCXII.

16.